

254

Lib II. Cap. II. X.

unt, cujusmodi sunt sub alternatio, oppositio, equipollentia, conversio, de quibus ordine nunc agendum, & primò quidem de subalternatione, seu de enunciationibus subalternis.

2. Est igitur subalternatio habitudo enunciationis ad aliam ejusdem subjecti, prædicati & qualitatis, diversæ autem quantitatis.

3. Enunciationes autem subalternæ dicuntur, quæ ejusdem sunt subjecti, prædicati & qualitatis, sed diversæ quantitatis, e. g. *O. homo est sentiens. Q. homo est sentiens.*

4. Dicitur 1. Quæ ejusdem sunt subjecti & prædicat: licet enim una propositio contineri videatur sub alterâ, e. g. singularis sub universali, propriè tamen subalternatio non est, cum desit subjecti identitas, E. g. licet sub hâc universali: *O. homo est disciplina capax,* continetur etiam illa, *Socrates est disciplina capax,* subalternæ tamen non sunt, cum non habeant idem subjectum.

5. Dicitur 2. ejusdem qualitatis, licet enim enunciationes ejusdem subjecti sint & prædicati, si tamen qualitas est diversa, h. e. si altera affirmans est, altera negans, non sunt subalternæ, e. g. hæc dux: *O. elementum est corpus naturale. Q. elementum non est corpus naturale.*  
licet